

vocatione sanctissima Trinitatis, contra exprefam formam a Christo traditam in Evangelio. Quo factum est, ut Cyprianus inter alias conquestiones adversus Stephanum exaratas (1) ad Pompejum, etiam hanc intextuerit objectionem, docuisse Stephanum baptismum in nomine Christi collatum legitimum esse. In hunc errorem incidisse Stephanum adversarii subinserunt.

Non exita epistola Stephani ad Jubajanum data, unde dubium excuti possit. Sed plane constat S. Cyprianum dubiis verbis captum fuisse, & pro baptismo a Christo instituto, intellexisse baptismum in solius Christi nomine collatum. Vindicat ipsum Stephanum Firmilianus in epistola ad Cyprianum data, in qua esto Stephanum perstringit super decreto de non rebaptizandis hæreticis, ostendit tamen mentem Stephani affectum se fuisse circum formam baptismi, resellendo interim rationem, qua usus fuit Stephanus ad rebaptizandum baptismi iterationem. Scripsit enim Firmilianus in hæc verba. (2) *Illud quoque absurdum, quod non putant querendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi poterit, invocata Trinitate nominum, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Igitur mens Stephani in decreto explanata non eo tendebat, ut forma baptismi mutaretur in invocationem solius Christi, sed quod salva consueta forma, non iteraretur baptismus vel ab hæretico Ministro nemel collatus.*

Zephyrino Romano Pontifici commentitia culpa obijcitur, quasi favorit Montanistarum hæresi, approbando Prophetias Montani, Priscæ, & Maximillæ, nec non donando eorum affectis communionis pacem, esto inconstans, ea ipsa, agente Praxeæ, irrita fecerit. In testem producit Tertullianus, qui refert: (3) *Idem tunc (Praxeas) episcopum Romanum agnoscentem jam prophetias Montani, Priscæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem ecclesis Asiæ, & Phrygiæ inferentem, falsa de ipsi Propheciis, & Ecclesiis eorum adseruando, & processorum ejus auctoritates defendendo, coegit, & literas pacis revocare jam emissas, & a proposito recipiendorum charismatum cessare.*

Verum falsa, & iniqua criminatio se ipsa corruit, si Tertullianum eidem Tertulliano statumus adversum. Hæresis a Montano propugnata negabat mæchis, etiam pœnitentibus, omnem indulgentiam, tanquam reis irremissibilis culpæ. Zephyrinus palam edixit oppositum, referente eodem Tertulliano, qui scripsit: (4) *Audio etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium. Pontifex scilicet Maximus (nempe Zephyrinus tunc sedens) quod est episcopus episcoporum, edicit: Ego, & Mæchie & fornicationis delicta pœnitentia sanctis dimitto. Utrumque narrat Tertullianus jam Montani affecta factus, jam Catholicis infensus, & irrisor. Quod argumento est, Zephyrinum Montanistis non favisse, adeoque falsum comminisci, ubi de communionis pace, & approbatione Prophetiarum Zephyrinum carpit. Nisi dicamus, ab hypocritis mentita pietate decerpum Zephyrinum (quod speciem boni præseferbat, a nulla specie mala infecti) non reprobasse, salva tamen fidei incoluntate, de qua nemo in monumentis antiquis reliquit suspensionem vel minimam. Sed quid ad infallibilitatem Papæ elevandam hæc profunt? Forfan dicimus Pontificem Romanum immunem esse ab improborum malitia, qui venientes in vestimentis ovium, calide circumvenire possunt, & fallere Romanos Pontifices?*

(1) Epist. 73. (2) Inter Ep. Cypri. 75. (3) Advers. Praxeam c. 1. (4) De Pudicitia c. 1. (5) Epist. 162.

Sanctum Marcellinum Papam Idolis thurificantem producent adversarii, ut infallibilitatem Pontificiam insolentius appetant, quem feriant. Si verus fuit Marcellini lapsus (de quo valida est pugna in contrarium) aliud evinci nequit, nisi Pontificem Romanum ex defectu humanitatis posse Christum negare, quemadmodum & de Petro legitur. Neuter tamen ex Cathedra definivit licitam esse fidei abnegationem, immo neque posse id ex Cathedra a Papa doceri sustinemus. Quod satis est ad propositi nostri scopum.

Causam Donatistarum iterum vocant in jus adversarii, ut Melchias deprimant infallibilitatem. Hic Pontifex summus coacta Romæ synodo sententiam protulit contra Donatum a Casis nigris, in favorem Cæciliani, cui jura omnia favebant. Causabant Donatistæ, fuisse invalidam Cæciliani consecrationem episcopalem, utpote factam a Felice Aprungitano Antistite de traditione sacrorum Codicum culpato. Donatus inique ferens sententiam Melchias, ad Imperatorem Constantinum provocavit, ut aliud judicium sibi concederet. Annuit Imperator: *dedit ille, inquit Augustinus, (5) aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet episcoporum, non quia jam necesse erat; sed eorum perverstitibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohiberi.*

Hinc intendunt adversarii colligere, judicium a Melchiade latum non fuisse infallibile, adeoque neque irtractabile. Sed levissimum ponderis est objecta argumentatio, & præter rem. Siquidem judicium Melchias non spectabat ad dogma, sed ad forum contentiosum Ecclesiasticum, de quo nullus est hic sermo. Præterquamquod nonne reunio Ecclesiæ Græcæ cum Latina pluries una cum articulis, in quibus dissidium, retractata est in pluribus Conciliis Generalibus, quin nemo audeat his adimere infallibilitatem judicii? Cur e contra adimenda est Romano Pontifici? Aliud afferri nequit, nisi Augustini sensus, & causa utrinque communis, nempe *Non quia necesse foret, sed eorum perverstitibus cedens pia mater ecclesia, tractat retractat schismaticorum vel rebellium causas, omni modo cupiens illorum impudentiam cohibere, & sanare. Quid? quod ipse Augustinus in eadem epistola scripsit: Et tamen qualis ipsius Beati Melchias ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida, atque pacifica. Si ultima, utique omni jure suprema.*

## §. XII.

Liberii lapsus expenditur.

NON paucis placet plusquam Stentoreos clamores tollere conclamando: Liberii lapsus est apertissime in Arianam hæresim, subscribendo Arianae formulæ, & Sancti Athanasii condemnationi; Ergo Papa infallibilis esse nequit. Gradatim tamen expendenda res est; quia Liberii lapsum plurimæ offensionis originem fuisse, concedimus; insanz Arianae hæresis reatum negamus admisisse. In dicti probationem necesse est historiam recensere.

Postquam Liberius infracta constantia resistit imperio, precibus, minis, aliisque hujus nequitie artibus, Constantis Imperatoris quum exul apud Beroziam subsisteret, victus fuit ad subscribendum condemnationi Athanasii, & Formulæ Sirmiensi, deinde ad incedam communicationem pacis cum Arianis episcopis, aliisque illius improbz factionis

ais hominibus, a quibus ex Religione antea abstinerat.

De lapsu inita communionis cum hæreticis questio esse non debet, quum salva fide communicare quis possit, ex ipsa Pontificia dispensatione; & tantum in casu de quo agitur, ad peccatum perniciosum exempli reducenda res erit.

De lapsu in Athanasii condemnationem ipse Liberius se explicat in hæc verba: (1) *Ego Athanasium non defendi, sed quia susceperat illum bone memoria Julius episcopus decessor meus, verebar ne forte in aliquo prævaricator judicaret. Et ubi cognovi, quando placuit, iusto velle illum condemnasse, mox consensum commodari sententis vestris. Ementia facinora, quæ in Athanasium ferebantur, ad disciplinam, & forum ecclesiasticum spectabant, adeoque omnino aliena sunt a dogmate, quod Pontificiam ledat infallibilitatem. Cœarguit tamen ab ipso Athanasio, quod in his retractaverit illud odium, erga Arianam hæresim præconceptum, licet potius cogentium, quam Liberii fuisse voluntas. Liberius, inquit Athanasius, (2) *deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minusque moris ad subscriptionem inductus. Verum illud ipsum quoque, & eorum violentiam, & Liberii in hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium satis coarguit. Quæ enim per tormenta, contra priorem ejus sententiam, extorta sunt, ea jam non motuentium, sed ita cogentium habenda sunt voluptates. Et simili judicio cum Marcellini thurificatione, si res veritati coheret, Liberius est arguendus.**

Reliquum est, ut de lapsu in subscriptione formulæ Sirmiensi agamus. Tres formulæ vulgo ferebantur sub nomine Sirmiensi editionis, esto prima dumtaxat in Sirmiensi Synodo contra Photinum facta revera fuisset. Prima igitur Photinum tantum execrabatur qui hæresis Saballii, & Pauli Samosatani instaurabat, contra divinitatem Christi domini. Alia duæ a semi-Arianis conceptæ fuere, adeoque plane hæreticæ. Primæ tantum subscripsit Liberius, quæ Catholica est, teste S. Hilario, in ea enim anathemate damnatur qui dicunt Filium Dei (3) *de non exstantibus aut ex alia substantia esse, vel fuisse tempus, aut seculum, quando non erat.*

Subdole tamen Arianorum factio coegit Liberium ad subscribendum huic Formulæ, esto verbis, & sensu Catholica; (licet dolo hæretico Arianorum gravida) quia quum in eadem non fuerit expressum verbum *Consubstantiale*, quod Lydius erat lapis ad agnosendam fidem, & detegendam Arianam vastitatem, & hoc verbo non erat opus uti contra Photinum; in spem venerunt Ariani, quod devicta constantia Liberii per subscriptionem formulæ non experimentis verbum *Consubstantiale*, proclive esset eundem adigere ad subscribendum alteri formulæ, cui sine fidei dispendio, hujusmodi verbum desiderari nequibat.

Verum equidem est, etiam in hac formulæ calidam Arianorum pervicaciam virus abscondisse suum, quia retenticia verbi *Consubstantiale*, ubique apud illos, a symbolo Niceno, & fide avertebat, unde eorum studium erat utendi hac industria, ut fucum facerent incautis, & cæteros in perniciem pertraherent. Quamobrem S. Hilarius hæreticorum fraudes apprime intelligens, æque damnavit Synodos Sirmienses, & formulæ ab illis exortas. Cui suspicioni prævit Athanasius scribens (4) *Multitudo Conciliorum, & diversitas scripturarum, indicium de se præbet, eos qui in illis Conciliis congregati fuerunt, adversus Nicenam qui-*

dem Synodum bellum gerere, sed tamen imbecilliores esse, quam ut pares sint veritati. Hoc titulo tam (5) ipse Hilarius, (6) quam Hieronymus lapsum Liberium in hæresim proclamaverunt.

Itaque Liberius hæresim per suam subscriptionem neque docuit, neque confirmavit, dum calida Arianorum perfidia extra formulam per cuniculos vim ageret. Lapsus tamen gravis fuit ob invecum scandalum, ad quod reparandum, quum Romanæ sedi restitutus fuit, fidem Nicenam palam professus est; cum S. Athanasio communionem redintegravit; Semi-Arianos ad Catholicam fidem reducere omni studio adlaboravit; Concilio Ariminensi strenue consensum negavit. Per epistolam ad totius orbis episcopos datam Arianos anathemate perstringit: Sanctique tandem extremum vitæ cursum tenuit, quin Pontifici infallibilitati, docendo ex Cathedra, quidquam detra-xisset.

Æquum fuit plura super hoc argumento complexi, ne veritas difficultati cedere videretur.

## §. XIII.

De calumniis, ob confictos errores, Innocentio I. & Zosimo illatis agitur.

IN epistola Innocentii I. (7) ad Episcopos Macedoniam datam accusatio insurgit, quasi irritas declaraverit ordinationes factas a Bonoso Episcopo Sardiensi prædicatoro, ut hæreticos auctore, conceptis sequentibus verbis: *Ad summam certe, qui nihil a Bonoso acceperunt, rei sunt usurpatae dignitatis, qui conscientiarum Sacramentorum sibi vindicaverunt auctoritatem, atque id se putaverunt esse, quod de his nulla fuerat regulari ratione concessum.*

Solutio in promptu est. Innocentius locutus est de honore, & dignitate, quæ consequitur characterem impressum ex impositione manuum, non de ipso characterem, quo accepto ordinatio perficitur. In eadem Epistola satis se explicat Sanctus Pontifex, dum illos reprehendit, qui in Catholica noverant propter vitia sua, non posse suscipere ordinationem; idcirco ad illum perrexisse, qui passim, & sine ulla discussione ordinationes illicitas faciebat. Loco igitur, & honore vult Innocentius privatos eos, quos Bonosus ordinavit, & nihil obfuit effectui ordinationis, quam dumtaxat illicitam pronuntiavit.

Idem est sensus alterius epistolæ ad Alexandrum Antiochenum ab Innocentio I. (8) datæ, in qua perstringit Arianos, aliosque hæreticos, reprobando eorum ordinationes. Non videtur, inquit Innocentius, Clericos eorum cum Sacerdotiis, aut Ministeriis suscipiam suscipi debere dignitate. Neque fucum faciant sequentia verba: *Quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus. . . . nec Spiritum Sanctum eos habere ex illo baptismo, illisque Mysteriis, arbitramur. . . . Quomodo fieri potest, ut profanos eorum Sacerdotes, dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad percipiendam Spiritus Sancti gratiam cum pœnitentia imagine recipiamus? Ratum utique admittit baptisma, etiam si ab hæreticis fuerit collatum, permittiturque, ut fidelium communionem, & privilegia donentur. Cæterum ordinatos ab hæreticis ab utroque excludit, quum Charitatis communionem sine privati, eo ipso, quod a præcis membris extra Ecclesiam, ubi non est plenitudo Spiritus Sancti, nec dari potest, ordinari fuerit. Omnia veritatis*

(1) Ep. ad Orient. (2) Ep. ad Solit. (3) L. de Synod. (4) L. de Synod. (5) In fragm. (6) In Chronico. (7) Epist. 27. ad Episc. Macedon. (8) Epist. 18.

xitari coherent, neque infallibilitati Pontificiae advertebantur.

Zosimi PP. itidem impugnatur infallibilitas, obijciendo, ipsum approbasse libellum Caesarii Primipili Pelagianae pravitatis, & eidem haeresi favisse, quod a veritate abhorret omnino, Res ita se habuit. Caesarius e Pelagina Romam profectus convenit Zosimum fucato vultu penitentis indurus; Libellum exposuit, in quo tria declaravit. I. Baptizandos esse infantes in remissionem peccatorum, sed non videri idcirco peccatum ex traduce firmari. II. se paratum, ac promptum dixit subscribere decretis, & litteris decessoris Innocentii I. quibus haeresis Pelagiana praedamnata fuerat. III. declarat, ac spondet nihil aliud petere, quam intrui, & corrigi: Si forte ut hominibus accidit, quispiam ignorantia error obrepserit, vestra sententia corrigatur; (1) Narrat Augustinus, His auditis a Zosimo, una cum aliis querelis a Caesario factis adversus Patres Carthageneses, quos impetebat, quasi temere, & sine examine paratos corrigi immaturo iudicio rejecerint, & anathemate exterminaverint, prudentissime Pontifex decrevit Caesarium demulcere, eique blandiri, donec Charagine Romam advenissent, qui probare possent, an vaserrimo, & mendaci animo, vel liberali, ac docili omnia locutus fuisset: Praehabita tamen, & statuta determinatione ab omni hac causa superfedendi, donec Sancta Sedes integre edocla fuisset.

D. Augustinus ea omnia confirmat dicens: (2) Sed multum misericors memorare Sedis Antecessores, ubi eum vidit ferri tanta presumptione praecipitem, tamquam furentem (scilicet per expolitum haeresim in libello clare, & aperte negantem Peccatum originale ex traduce) donec, si posset fieri, respiceret, maluit eum sensim suis interrogatoriis, & illius responsionibus colligere, quam assidua sermone sententia, in illud abruptum, quo iam propendere videbatur, impellere. Pergamus ad verba sequentia Augustini: Ideo autem non dixi aperte occiderat, sed propendere videbatur, quia superius in eodem libello de huiusmodi questionibus locutus, ante praedixerat: Si forte ut hominibus quispiam ignorantia error irrepserit, vestra sententia corrigatur.

Uteriore Augustini historiam legamus: Hanc eius (nempe Caesarii) prelocutionem Venerabilis Papa Zosimus tenens, egit cum homine. . . ut ea, quae a Diacono Paulino fuerant obiecta, damnaret, atque ut Sedis Apostolicae litteris, quae a S. M. Praedecessore manserant, praebere assensum. At illa (Caesarius) novit. . . obiecta damnare, sed beati Papae Innocentii litteris non est ausus obistere: imo se omnia, quae Sedes damnaret, damnaturum se esse promisit. Atque ita velut Phoenicis, ut requiesceret tamquam leniter solus, a vinculis rancida excommunicationis non est creditus esse solvendus. Sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, respiciens ei locus, sub quadam medicinali lenitate, concessus est. Perlegamus & finem narrationis Augustini, ut tota facti series sub oculis sit: Quoniam revera, si deposita pernicitate vanitate, quod promiserat, (Caesarius) vellet attendere, & easdem litteras, quibus se consensurum esse responderat, diligenter legeret, sanaretur. Sed postea quam ex Africano Episcoporum Concilio rescripta detecta sunt, quid fuerit consecutum, ut iustissime in eum sententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta evanescimus. Nempe post tentatam frustra Caesarii emendationem, iterum damnatus fuit, & repetito anathemate confos-

Discimus ergo, Zosimum probe novisse haeresim in libello exaratam; Prudentissime tamen dissimulare gestit, ne spes concepta emendationis praefocaretur in limine. Quapropter non dixit libellum esse Catholicum ob dogma in eodem impie expositum, se ob insertam protectionem, qua Caesarius se pollicebatur paratum intrui, edoceri, & corrigi, quod vere Catholicum sapit. Responsio est divi Augustini apprimae de tota re concessi. (3) Cum hoc, inquit, (nempe negando Peccatum originale) Caesarius in suo libello posuisset, inter illa dumtaxat, a quibus se adhuc dubitare, & instrui velle confessus est, in bonum accerrimi ingenii, qui profecto, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitatis dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dicitur est, quia & hoc Catholicae mentis est: si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit, non ea cessissime desinit, sed detecta, ac demonstrata respuit.

Si autem quis contendat adhuc errasse Zosimum fidem praestando vaserrimo haeretico Dico privilegium, quod vindicamus Romano Pontifici, est illud infallibilitatis in docendo ex Cathedra, neurquam illud seruationis cordium, de quo nulla legitur promissio in Evangelio.

## §. XIV.

Errores ab Hormisdas, & Vigilio depellantur.

Erroris reum Hormisdas dicunt adversarii: quod reprobarit propositionem: Unus de Trinitate carne passus est; quam deinde probavit, & laudavit Joannes II. anathemate itidem feriens Monachos Acemetas (id est infomes, utpote alternatim semper vigiles ad orandum) qui antedictam assertum, ut erroneum carpebant, atque omnibus nervis infestabantur. Hinc errantem Hormisdas appellat.

Attamen ad veritatem historiae provocandi sunt Monachi Scythae. Scripta professione fidei per suos Nuntios coram legatis Pontificis Constantinopoli degentibus, summe urgebant, ut probarentur propositio recensita: Unus de Trinitate passus est carne: ea ducti opinione, ut omnino in formulis fidei a Concilio Chalcedonensi editis, conferretur, tanquam necessaria earumdem explicatio, & ad confodiendas haereses macro absolutissimas. Legati Apostolici, rejecta instantia adeo absurda, rem totam ad Hormisdas detulerunt, ad quem successive iidem Monachi Scythae per alios Nuntios de illata sibi iniuria appellarunt. Accepit Hormisdas, ut par erat, petitionem Monachorum, tanquam absonam, intemptivam, atque captiosam, utpote Diabolica zizaniam semina injicere gententem. Stetit Hormisdas ad instantiam inflexibilis, & Monachi in furorem acti usque ad seditionem populi devenerunt: (4) equisque tumoris elati, inquit ipse Pontifex, ut ad arbitrium suum utriusque orbis patens inclinandum esse iudicium.

Hormisdas hanc Monachorum petulantem infaniam, ac perveraciam perhorrescens nihil de proposito assertionem, vel examinis, vel censurae dicere voluit, sed data epistola ad Possessorem Afrum Episcopum praemonere fatigat, ne insolenti Monachorum postulationi aures praerberet. In hac epistola totus est, ne quidquam novitatem redolens fidei formulae Chalcedonensis Concilii immisceretur; absurdum videlicet, inutile, & perniciosum sentiens quidquam addere, & si quandoque bonum in se videatur, fidei formulis; maxime

me privati ingenii procaci praesumptione adinventum, haec itaque Hormisdas abhorruit, vetavit, & execratus est, quidquid dicat Joannes Maxentius Monachus pariter Scythae, qui epistolam Hormisdas ad Possessorem, dissimulato auctore, adeo exagitavit, ut impudentissime etiam Pelagiana labe infectam esse, pronuntiaret; eo quod scripserit Hormisdas: Profectus inter adversarios propriis bonis, si non involvamus erroribus alienis. Propria namque bona, non desunt esse dona Dei, quod ad rem non pertinebat apponere, utpote notorium.

Ceterum est Hormisdas rejecit propositionem Scytharum Monachorum, ut consonam Eutychetis haeresi, & contrariam definitioni Concilii Chalcedonensis, contra Eutychianam, aut Nestorianam haeresim; quid obest infallibilitati Pontificiae, si Joannes II. alter Pontifex in alio sensu eandem probaverit ad exprobrationem Acemetarum, qui Nestoriana peridia imbuti, eandem propositionem exhorrebant? Nonne propositio: Pater major me est; ab ore Christi procedit? & tamen in ore Ariani blasphemia erat, & nota haeresis denigrata; ubi prolata a Catholico, est repetitio sermonis Domini, & haec factis.

Controversia diuturna de tribus capitulis aperit viam adversariis, fallibilitatis insimulare Vigilium PP. eo quod pugnantibus inter se decretis de illis iudicium tulerit. Tria autem haec capitula complectebantur: I. Scripta seu libros Theodori Mopsuestiae Episcopi, qui Eunomium, & Apollinarem confutando plura miscuit Nestoriana haeresi infecta. II. Scripta Theodoriti Cyri Episcopi impugnantia Anathematismos a S. Cyrillo editos contra Nestorianam haeresim, quos criminabatur, ut Apollinarii erroribus conspersos. III. Epistola Ibae Edesseni Episcopi ad Marim Perlam, in qua plurimum Theodoros Mopsuestenus, ejusque doctrina commendabatur. Super his tribus nuncupatis capitulis, tres quoque circumferantur sententiae. Etenim alii perurgebant strenue illorum damnationem, evulgantes nunquam extinctum iri Nestorianam haeresim, nisi proscribis ejusmodi scriptis. Alii tria capitula propugnabant, tum ut erroribus vacua, tum quia auctores ut optime de fide meriti, ac probati sessionem respective tenuerint in conciliis Ephesino, & Chalcedonensi. Alii tandem ab utroque placito abhorrebant, rati non esse, juxta primos, opportunitatem proscriptionem Capitulum persequi, utpote ab Acephalis intentatam, qui sub specie delendi Nestorianismum in Ephesina synodo confossum, patrocinium deinde paraturi erant Eutychianismo, concutiendo Chalcedonense Concilium, in quo Theodoritus, & Iba federant. Neque, juxta secundos, dimittenda esse censent omnia scripta absque debita censura, sed tempori indulgendum esse, ut propitior assulgeret dies complendi omnia ex debito. Interim ad summum proscribenda esse scripta Mopsuesteni Episcopi, ut antiquioris Scriptoris, & gradatim quoque aliorum, salva semper auctoribus reverentia.

Obsta undequaque spinis erat via, qua incedendum esset. Quapropter Vigilium probe conscius periclitari vel Ephesinum, vel Chalcedonense Concilium, cunctatione utendum esse censuit, & pro temporum ratione consilium esse sumendum. Eo vel maxime quod Roma evocatus Vigilus a Justiniano, urgentissime excitatus fuerit ab Episcopis pluribus occidentalibus, & rogatus, ne in hac re quicquam novitatis admitteret. Sed dum

Serry Tom. V.

(1) Ep. ad Eutychium.

iter ageret, monitus fuit de peracta damnatione trium capitulum, cujus subscriptionem ab Episcopis addendam praestolabatur Theodoros Caesareae Capadocum Episcopus Acephalorum Coriphæus: Statimque arrepto calamo scripsit Vigilium ad Mennam Constantinopolitanam Praefulem, illam reprobando, & ut rescinderetur, etiam apud Imperatorem agendo. Deinde ut me expediam, permitta hujus causae discussione in Conventu 70. Episcoporum, ibique datis suffragiis de edenda damnatione, ipse Vigilus dedit ad Mennam Judicium trium Capitulum damnationis. Non potuit tamen flecti, ut eidem insisteret, quin totus incumberet, ad trahendos tum Principem, tum Episcopos, ut coacta Synodo ex oriente, & occidente, eidem remitteretur controversia finienda.

Synodus coacta fuit Constantinopoli 150. Episcoporum ex oriente; paucissimi vero ex occidente adfuerunt, apud quos Vigilus male audiebat ob iudicium damnationis. Synodus damnavit Capitulum, sed Vigilus renuit damnationem confirmare, ne hoc actu Episcopos occidentis in schisma pelleret. Idcirco lato Constituto mediam amplexus est viam. Theodori Haeresis damnavit amplexu illius nomine, juxta exemplum Concilii Ephesini. De Theodorito dixit, jam in Synodo Chalcedonensi factis actum fuisse, super scriptis adversus Cyrillum; fuisseque Patres illos contentos, ad Theodoriti exprobrationem, eum cogere, ut anathema diceret Nestorio, ideoque ab ulteriori condemnatione fore superfedendum. De Iba epistola, utpote jam perlecta in eadem Synodo Chalcedonensi, & absque discussione dimissa, nihil esse retractandum. Hac oeconomia usus est Vigilus, ne in totum indulgens Orientalibus Episcopis, Occidentales offenderet, & auctoritas Conciliorum elevaretur: vel in totum Occidentalibus tribuens denegata condemnatione, orientales ad Shisma commoveret. Adeo dura erat, & tristis illorum temporum conditio, us vix prudentiae superesset consilium. Tandem Vigilus, ut pacem daret tumultuanti discordiae, flexus est ad confirmandam condemnationem trium Capitulum, una cum auctoribus, in praefata Synodo statutam, quae proinde nomine Quintae Synodi habita est in Ecclesia.

Quod nostra interest, discere ex facti serie debemus, nunquam Vigilium laudasse haeresim, aut haereticos homines, neque unquam alterutrum absolvisse; sed tantum iudicium distulisse quo ad tempus, quod prudentissime inopportunitatem cognoscebat, ob acre, & callidum partium studium. Igitur super re fidei nequit coargui de inconstantia Vigilus. Renebat quidem Vigilus ad expressam damnationem Auctorum descendere, sed non ut illos a culpa eximeret, sed ut morem gereret Concilii Ephesino, & Chalcedonensi, quae a sententia contra personas perspecte abstinerunt. Quamobrem si haec opportuna temporis dispensatio exemit laudata Concilia a quolibet probro, non est cur veri debeat crimini Vigilio.

Si quis autem percunctabitur, ubi constet Vigilium in re fidei non fuisse inconstantem, sibi que repugnantem, si ipse in Epistola ad Eutychium Constantinopolitanum data, ingenue fateatur, se retractare ea omnia, quae ad defensionem trium capitulum facta sunt, quia comperta, irrequieto studio, sanctorum Patrum doctrina, plene edoctus tandem fuerit, cuncta erroribus scateat? Respondeo, id constare ex ipso Vigilio, qui narrationem inchoans de gestis praesentis controversiae, ait: (1) In una, eademque quatuor Syno-

M do-

(1) L. pecc. Orig. c. 6. (2) l. 2. ad Bonif. (3) l. 2. ad Bonif. c. 3. (4) Ep. 67. ad Possessorem.

dorum fide sincere persistentes, cavillationibus, versutis, & dolo malo ab eis dividere conatus fuerit, ita ut nosmetipsi, qui ejusdem cum illis eramus, & sumus de fide sententiam, insuper habita dilectione fratrum in discordiam abierimus. II. Constat ex S. Gregorio, qui ad Episcopos Ithriae scribens ait: (1) de quibusdam solummodo personis fuisse venturatum, in illa quaestione Pelagii I. ad Childebertum Regem Francorum scribentis; extra fidem de tribus Capitulis disceptatum esse in Oriente. Et constat ex epistola Pelagii II. ad Episcopos Ithriae, in qua lato calamo vindicat Vigilium, aperteque dicit Pelagium nihil aliud quam de personis controversiam inveniisse. IV. Constat, quia super damnatione personarum jam vita functarum, plurimum studium mentes Synodi occupavit; nempe an retractanda foret causa de illis Episcopis, de quibus Concilia Ephesinum, & Chalcedonense recte locuta sunt. Deinde an illi Episcopi jam defuncti in Communione pacis potuissent anathemati subijci. His subtilis difficultatibus, inclruit Vigilium, quid & quomodo definire opus erat, scilicet, & coherenter ad praecedentem condemnationem, & ad execrationem Auctorum, juxta juris regulas. Hac est illa veritas, quae latebat Vigilium, & ante perfectam affectionem videbatur specie tenus defensionis trium Capitulorum favere. Quamobrem asseveranter dico Vigilium nihil in negotio trium Capitulorum retractasse, aut immutasse ad fidem attinens, sed tantum circa ea, quae ad disciplinam spectant, cujusmodi sunt damnationes Auctorum libelli haereticis obstiti.

Itaque compertum remanet, factum Vigilii non officere infallibilitati Pontificiae, quia quaecumque inconstantia illius fuerit, oeconomia, & dispensatio necessaria fuit, citra fidei dispendium, & opportuna improbo tempore, super iis, quae variabilem postulant disciplinam, quemadmodum actum est ipso Universalis Concilio Chalcedonensi, cui nemo exprobrat fallibilitatis labem. Ad horum lucem ampliore juvabit legere verba Pelagii II. dicentis: (2) debet ergo pendere vestra dilectio, quia praecessorum nostrorum consensus in hac causa tanto post inanis non fuit, quanto prius davis contradictionum laboribus insudarit.

## § XV.

Honorius I. a nota haereseos abstergitur.

Monothelitarum haereticorum incendium, quod septimo Ecclesiae saeculo in Oriente erupit, ex cineribus a tempore Heraclii Imperatoris incensus, adhuc adversarios concitat, ut Honorium I. eodem igne obvolvant, & proinde haereticum Monothelitam, haereticum doctorem combustioni addicant. At enim arguunt, Honorium rescriptis suis ad Sergium Constantinopolitanum Antilitem datis docuisse voces geminae voluntatis, & operationis esse novas, Patribus ignotas, recenter inductas, adeoque omnino supprimendas, ne scandalum fidelibus praepostere injiciant. Ad didisse etiam, inquam, ineptum, otiosum, & grammaticale esse inquirere, an post unionem in Christo duarum naturarum, duae manserint voluntates, & operationes; eosque, qui de una vel gemina voluntate in Christo investigare aggrediuntur, merito appellari vanos, naturarum ponderatores, otiosos negotiatores; postremo iussisse, ut de una vel gemina voluntate, & operatione Christi alium haberetur silentium. Ex quo ad com-

plementum infandi facinoris factum est, ut ipse Honorius injuste succenseret Sophronio Sanctissimo Praefuli Hierosolymitano, quia impense adversus Sergium Monothelitarum Principem scriberet, obortamque haerem pro virili percuteret. Quibus omnibus recte perpensis in sexta Synodo, a Patribus illis conclamatum est Honorio anathema, una cum Sergio, Pyrrho, ceterisque Monothelitis. Quis igitur haereticus notam iniiciendo ab Honorio docente ex Cathedra depellere audebit?

Angusta, & incisa argumentatio est, sed parum urgens consideranti, responsale Honorii ad Sergium privati hominis fuisse epistolam, non Pontificis ex Cathedra docentis universalem Ecclesiam, cui infallibilitas iudicii inest. Privatum consultum a Sergio fuit Honorius, mendacis circumventus, quod voces unius vel geminae voluntatis in Christo scandalo fidelium essent, quod Sophronius distans omnia susdeque commoveret ob ineptam vocem novitatem: quod salva recte fidei duarum naturarum indivise, & impermixte in Christo professione sapienda erant uadequaque discordiae, si silentio premerentur inutilia vocabula unius vel geminae voluntatis, & operationis in Christo, ad quod ipse Imperator dicebatur proclivis. Privato sensu, privato responso se credulum praebuit Honorius, & in errore lapsus est. Patet ex ipsa Honorii epistola ad Sergium relata in sexta Synodo act. 14. ubi legitur ab Honorio scriptum. *Auferentes ergo (sicut diximus) scandalum novelle adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definire, predicare.* Quid autem est, ut error privati hominis in Pontificem docentem ex Cathedra universalem Ecclesiam sit intorquendus?

Sufficeret utique haec responsio ad elevandum argumentationis propositum. Sed quia praestat, iustitia poscente, Honorium ab impacta haerese vindicare, altius repetenda res est; eo vel maxime, quum vindices Honorii habeamus Joannem IV. in Apologia pro Honorio, ad Constantinum Imp. Filium Heraclii data: S. Maximum Martyrem in Dialogo cum Pyrrho Monothelita, & in epistola ad Marinum; & Anastasium Bibliothecarium in suis ad (3) Joannem Diaconum Collectaneis, praeter innumeros alios scriptores, qui de hoc argumento late differuntur.

Quum Heraclius confecto bello Persico subsisteret Hierapoli, quidam Anastasius creditus Patriarcha Jacobitarum, illum convenit gratulationis ergo de parta victoria. Hoc colloquium impulit Imperatorem, ut Anastasium Eutychemi addictum hortaretur ad inharendum Chalcedonensi Concilio. Qua arrepta occasione homo vaferimus interpellavit Heraclium, an una, vel duae voluntates, & operationes dicenda essent ex Religione in Christo? Nescius, & inopinatus percussus Imperator remisit Anastasium, ut Sergium super proposita quaestione consuleret, & Cyrum Phasidis Episcopum, a quibus accepto responso pro unica voluntate, extorserunt simul juncti ab Imperatore Edictum, Ethehim appellatum, quo Heraclius omnibus praecipiebatur, unicam in Christo profiteri voluntatem. Tunc Sergius Constantinopoli, & Cyrus Alexandria, quo ex mercede iniquitatis translatus fuerat, coactis Conciliis haereticum Monothelitarum jam praefortam stabilem reddiderunt. Persecta hac haeretica novitate Hierosolymitanus Episcopus Sophronius omnibus nervis obstitit, tum lingua, tum calamo, datis etiam literis confutatoris ad ipsos Sergium, & Cyrum, & hor-

& hortatoriis ad Honorium Romanum Pontificem, ut tantae perfidiae occurreret.

Timuit Sergius, ne preoccupatus Honorius a verbis, & precibus Sophronii, comperta veritate, male partum Dogma destrueret; ideoque fallendi omnigena arte eductus, mille mendacia construxit, & ob oculos Honorii missa Epistola ex dolis, & fraudibus infarsa haec proposuit. I. Scripsit: in unum coaluisse omnes populos per Aegyptum, Lybiam, sanctimisque provincias dispersos ad se dedendos functionibus Concilii Chalcedonensis, cui adversabantur, hoc intercedente temperamento, ut unicam in Christo profiterentur voluntatem, & operationem. II. Unum tantum relucere Sophronium sultum aliquibus probabilibus Patribus, qui semel vel iterum duas dixerunt voluntates, & operationes in Christo. III. Quod tandem Sophronius inflexus esset ad tollendas exortas contentiones, discordiaque vergentes ad Schisma, ut rectis sub silentio unius vel duarum voluntatum vocibus, quod tantum spectat ad Dogma Ecclesiasticum, omnes confiterentur, Verbum Dei in carne, & divina natura operari. IV. Scripsit Sergius ex hoc silentii temperamento tolli quorundam errantium assertum, ponentium in Christo duas voluntates contrarias, aliam rationis, alteram pugnantis appetitus, quae a solo peccato originali descendit, cujus expertus est Christus. V. Hanc doctrinam excerptam esse ex libro dogmatico a Menna Patriarcha Constantinopolitano ad Vigilium PP. transmissio de una operatione, & una voluntate cujus exemplar jam prope diem ad Imperatorem erat directurus.

His strophis circumventus Honorius, inexplorata rei veritate, & partium momentis inauditis, rescriptis (1) ad Sergium. I. Laudavit dispensationis oeconomiam adhibitam de reticendis vocibus unius, vel geminae voluntatis. II. Animadvertit, harum vocum predicationem posse periculum infirmis ingerere erroris, perinde ac si admittantur in Christo duae voluntates sibi ipsis contrariae, quod est alienum a recta fide. III. Circumspicit prolationem vocum unius vel geminae voluntatis posse labefactare unum, vel alterum Concilium, nempe vel Ephesinum, vel Chalcedonense, adeoque vel Nestorianam haereseim, vel Eutychemiam reintegrare. Siquidem infirmis, aut malevolis ingeniis occasio injusta esse poterit, ex voce unius voluntatis, & operationis colligendi, juxta Eutychemem, confusionem, & permutationem naturae divinae, & humanae in Christo; Perinde ac ex prolatione geminae voluntatis, & operationis inferendi, juxta Nestorium, duplicitem suppositi in eodem Christo. IV. Scripsit (2) Honorius ad Sergium, Profiteri necesse in Christo duas naturas divinas, & humanam inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter, & unamquamque illarum esse propria operantem. V. Mandat, quod ablato scandalo adinventionis novellae de Voce unius vel geminae voluntatis, caveant unam vel duas operationes definiendo predicare.

Haec est summa epistolarum Honorii ad Sergium, ex quibus discimus, Honorium Catholice locutum esse, & contra Nestorium, & contra Eutychemem; & insuper factum fuisse, in Christo unitas esse naturam divinam, & humanam, & utramque sibi propria operari; non aliter certe quam per propriam unicuique virtutem, & operationem. Negando igitur duplicem voluntatem solummodo de voluntatibus contrariis licet interpretari, quod sane Catholicum est. Ita interpretatur Joannes PP. IV. dicens. (3) Secundum Serry Tom. V.

hunc igitur modum, jam dictus decessor noster (Honorius) pronominate Sergio Patriarcha percontanti scripsisse dignoscitur: Quia in Salvatore nostro duae voluntates contrariae, id est in membris ipsius, penitus non consistunt, quoniam nihil viri exiit ex praevagatione primi hominis. Ita S. Maximus Martyr. (4) Cum enim, inquit, scripsisse Sergium, esse qui dicerent in Christo duas contrarias voluntates, rescriptimus, Christum non habuisse duas contrarias voluntates, carnis, inquam, & spiritus, sed unam tantum, quae naturaliter humanitatis ejus natura est. Ita ille ipse, qui fuit a literis ejusdem Honorii, ab ipso Maximo citatus, a quo ratio reddita est, quia in Epistola Honorii Membrorum, & Carnis facta est mentio, quae divinitatis ejus non possunt attribui. Igitur de voluntate humana erat sermo, quum dicta fuit Una tantum in Christo.

At huic interpretationi repugnat Sexta Synodi anathema contra Honorium, una cum Sergio Monothelita emissa. Non inficior; esto eruditi non pauci, inter quos Baronius, suspiciter ex fraude scriptum fuisse nomen Honorii, violata veritate Autographi aeternum. Attamen respondeo; Honorium neque fuisse haereticum, neque ut haereticum fuisse damnatum. Egregie id probat testimonium (5) Leonis II. pro confirmatione ejusdem sextae Synodi scribentis ad Constantinum Pogonatum Imperatorem, ubi ait. *Anathematizamus... & Honorium qui hanc Apostolicam Ecclesiam, non Apostolicam traditionis doctrinam, usuravit, sed profana praedicatione immaculatam fidem maculari permisit.* Quam permissionem, in quo sita fuerit, explicat idem Leo in alia epistola ad Episcopos Hispaniae, in hac verba: (6) *Qui vero adversus Apostolicam doctrinam puritatem perducit, extiterant, abeuntes quidem aeterna condemnatione multari sunt, id est, Theodorus... Cyrus... Sergius, Pyrrhus... cum Honorio, qui flammam haereticis dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo consociavit.*

Honorius itaque non ut haereticus damnatus fuit, sed quia erumpentem haereseim non extinxit, & a Sergio illudus credulus aures praebuit; petita praepostere indulgit; in captionem verborum venit, & per imprudenciam in adversarii casset incidit. Quae omnia sunt quidem culpa peccantis sollicitudinis, non autem vulnera Pontificiae infallibilitatis. Ex quo Agatho PP. vere potuit ad praefatum Imperatorem Constantinum scribere, post Honorii factum, (7) *Apostolicam Ecclesiam a tramite traditionis Apostolicae nunquam errasse, nec haereticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio Christianae fidei percepta ab auctoribus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata sine tenus permanet, secundum ipsius domini Salvatoris divinum pollicitationem.*

## § XVI.

Errores, quibus notantur Gregorius III., & Stephanus III. fuites deteguntur.

SANCTUS Bonifacius Germanorum Apostolus in perenne suae venerationis, obedientiae, & religionis erga sedem Apostolicam argumentum, literas dedit, missis delectis Nuntiis ad Gregorium III. quibus explicata sui Apostolatus agendi ratione, plura proposuit quaerita, ut juxta Romani Pontificis doctrinam edocuis, tuto pede Genetes illas ab infidelitate eriperet, & fanis imbueret documentis. Respondet ad singula Gregorius, & ipsa

(1) l. 2. ep. 10. ad Greg. Savinum, & l. 3. ep. 37. ad Constantinum Mediol. (2) Epist. 3. ad Heliam Aquileensem, & Epist. Ithriae cap. 8. (3) Apud Anast. Bibliot.

(1) Ep. relect. in 6. Synod. act. 12. (2) Et ep. relect. in 6. Synod. act. 14. (3) In cit. Apol. pro Honor. (4) In cit. Dialog. (5) Sexta Synod. act. 18. (6) Epist. 2. (7) Extat act. 3. sextae Synod.

& ipsa responsio reteggit, æque quæsti rationem, ad data doctrinæ difficultatem, quæ naves adversariorum adeo insolenter pupugit. Verba Gregorii III. sunt: *Nam quod posuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis: bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentie vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit. Erroneum est, exclamant infallibilitatis hostes, indicere dissolutionem matrimonii ex impotentia superveniente ad matrimonii contractum.*

Nonnulli doctores censent Gregorium dispensationem interposuisse, quia agebatur de matrimonio rato, non consummato, cujus vinculum posse a Papa dissolvi, exempla plurima docent. Quoniam nondum in illo perfectus est conjunctioni Christi cum Ecclesia typus, juxta Apostoli doctrinam. Neque incongruum videri debet, si Gregorius hanc dispensationem indulgere sit dignatus ad levamen illius regionis gentis, barbaris intitutis enutritæ. Alii interpretantur, locum esse Gregorium, non quidem de impedimento superveniente ad contractum Matrimonii, sed de cognitione impotentia jam existentis ante Matrimonium, acquisita ex tentato usu ejusdem. Ex quo enim compertum est, impotentiam perpetuam fore, liberum remanet alteri conjugi ad alias nuptias convolare, ob nullitatem initi contractus. Monet tamen, ut puella subsidium non denegat, quia inter barbaras illas gentes, viduata omni ope; ad Idololatriam, vel gentilios mores, cum magna pietatis Christianæ iactura, forte revertisset.

Oneratur itidem Gregorius III. quia iussit baptizatos a Paganis iterum fore baptizandos, inquitens: (1) *Vel qui a Presbytero Jovi mactante, & immolatis carnes vescendo baptizati sunt, ut rebaptizentur, precipimus.*

Sed procul est a mente Gregorii III. hujusmodi error. Illud enim erat ad mentem Bonifacii quætere: An baptismus datus a Paganis vel joco, vel ignorata forma, vel non probato, an veram formam protulerint, esset nec ne iterandus. Respondet Gregorius omnino ita incerte baptizato baptizari oportere. Nondum enim in Ecclesiam inductus fuerat mos baptizandi sub conditione. Præterea tunc adhuc sub Judice pendebat, an validum haberetur baptismus collatum a non baptizato; de qua quæstione anceps fuit olim D. Augustinus dicens: (2) *Et hæc quidem alia quæstio est, utrum & ab his, qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate Concilii, quantum tante rei sufficit.* Quapropter mirari non subit, si Gregorius ex privata sententia in dubio veritatis nondum eliquatæ tutiorem partem elegerit, mandans baptizatos a Paganis baptizari, ad securitatem fidelium, quod sapientissimi iudicii est.

Ad alterum expedita solutio est, oportere etiam baptizari eos, qui communicant cum lapsis presbyteris, prævia facti penitentie, quum nemini petenti denegandus sit ingressus in Ecclesiam per baptismum. Idcirco simul ibidem docet Gregorius: *Eos etiam qui se dubitant esse baptizatos, ut baptizentur, precipimus.*

Cæterum omnibus patet prædicta omnia fuisse confirmata a S. Zacharia successore Gregorii III. qui ad eundem Bonifacium scribens, ait: (3)

*Illis autem viros, qui ab hæreticis baptizati sunt, & dubietas tenent, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non sint baptizati, inquisitione rei veritate, si ab erroneis Sacerdotibus baptizati sunt, hoc sine dubio, juxta prædecessoris nostri bo. mem. Gregorii Papæ, & Sacrorum Canonum, traditum tibi mandatum implere non omittes, ne in æternum pereant. Nil validius od tutamen Gregorii.*

Postremo ad errata Stephani III. devenimus, procul dubio probaturi in nihilum decidere. Stephanum III. nuncupamus cum Anastasio, & Baronio, licet aliis placeat illum numerare hujus nominis secundum, excluso Stephano vere secundo, quia triduo tantum supervixit electioni. Hic itaque Stephanus III. dum in Galliis apud Carificam convenisset Pippinum Regem, de pluribus interrogatus ad singula respondit, inter quæ duo censura inuruntur. Primum est respondisse inquirenti, quibus in casibus liceat conjuges separare, nedum thoro, sed etiam Vinculo? Respondisse, inquam, duos casus tantum esse posse, nempe vexationis a deum castæ, & lepræ morbi, ad solutionem conjugii sufficientes. Verum ut verba responsi præferantur, non solutionem vinculi, sed separationem thori, importare contendit. Ita enim legi in responsis a Stephano III. datis: (4) *Si quis se conjugio copulaverit, & uni eorum contigerit, ut debitum reddere non possit, non liceat eos separare, nec pro alia infirmitate, excepto si demonii infirmitas, aut lepræ macula supervenerit. Cæterum si ab his duobus infirmitatibus liberi fuerint invicem conjuncti, unus alteri servitium exhibeat. Unde non alia quam thori separatio colligi potest; maxime si infirmitas superveniat matrimonio consummato, quod omnimodam solubilitatem excludit. Cur vero Pontifex hes tantum infirmitates ad separationem recenseat sufficientes, ex contingencia casus, unde quæsitum ortum fuit, oriri debuit. Quod sane demonstrant verba ad nonum quæsitum, ubi itidem de leprosis agitur.*

Idem Pontifex ad undecimum quæsitum respondit circa Presbyterum, qui deficiente aqua, in Vino baptizavit infantem, dicens: *Si in Vino quis, propterea quod aqua non inveniebatur, omnino periculatam infantem baptizavit, nulla ei adscribitur culpa. Infantes sic permancant in ipso baptismo. Nam si aqua adsuit præsens, ille Presbyter excommunicatur, & penitentie submittatur, quia contra Canonum sententiam agra presumpsit.* Ex ignorantia casus opitur erronea interpretatio. Casus expostecebat, quam censuram meruerit Presbyter, & nihil de infante momenti erat. Igitur dicendum est, casum contigisse, in quo iter agente Presbytero, occurrit infans in extremo periculo constitutus, qui post acceptum baptismum in Vino, alio deportatus est, ignorante Presbytero penitus quis esset, & quoniam delatus fuerit. De tali infante dicit Stephanus, permancat in illo qualicumque baptismo, non quia validus fuerit, sed quia divinæ providentiæ relinquitur vel miraculose illum salvare, ut refertur a Moseho de Judæo in arena baptizato, ob aquæ defectum (si casus revera contigit); (5) vel ad adultam ætatem perducendo puerum, ut per baptismum flaminis a gehennæ periculo eripi possit. Cæterum apud plures eruditos creduntur hæc responsa consuta ex arbitrio fuisse, & maxime præsens, quod abest a pluribus editionibus, & in aliis non Stephano, sed Siricio adscribitur, quod mendacii, & puræ putæ calumnie signum est. Alii tandem mendosum esse textum sentiunt, & restituendum cum con-

(1) Epist. 2. ad Bonif. (2) l. 2. cont' ep. Parimen. c. 13. (3) Ep. x. ad Bonif. (4) tom. 17. Regiz. edit. c. 2. (5) In prat. Spirit.

condionali appositione, idest: *Nulla ei adscribitur culpa, si infans permancat in illo baptismo.* Quis enim tam bardus est, ut credat, Stephanum ignorasse materiam necessariam ab baptismum, quæ neque fugit Clericos infimi subfellii?

## §. XVII.

*Eugenius II. & Nicolaus I. ab errore purgantur.*

SUB Eugenio II. coacta fuit Romana Synodus, in qua plures sancti sunt Canones ad disciplinam Ecclesiasticam referendiam accommodatissimi. Ipse Eugenius præfuit, & facta decreta edixit, inter quæ sub numero trigesimo sexto legitur: *Nulli licere, excepta causa fornicationis, Uxorem relinquere, & deinde aliam copulare.* Permittit ergo Eugenius Vinculi Conjugalis solutionem, interveniente fornicatione alterius conjugis, adversus sententiam Christi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Ita causantur sensisse Eugenium II. adversarii. Illum tamen defendunt quotquot interpretati sunt textum Matthæi 19. ubi Christus docuit: *Quicumque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, machatur.* Prohibetur quidem Uxorem dimittere a jugali consortio, nisi ex causa fornicationis, sed non conceditur aliam ducere, vivente Uxore dimissa, ut explicavit Concilium Forojuliense can. x. juxta ejusdem Christi doctrinam Matthæi 5. expressam: *Omnis qui dimiserit Uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam machari; & qui dimissam duxerit, adulterat.* Ergo ex sententia Christi non dissolvitur vinculum, alias dimissa citra adulterii crimen, posset alteri copulari. Cur autem sola causa fornicationis utrobique proferatur, respondet D. Augustinus: (1) *Credo quia illud quod majus est, hoc dominus commemorare voluit. Majus enim adulterium esse, quis negat Uxore non fornicante dimissa, alteram ducere, quam si fornicantem quis dimiserit, & tunc alteram duxerit: non quia, & hoc adulterium non est, sed quia minus est, ubi fornicante dimissa, altera ducitur.*

Augustinus explicando Evangelicum textum, Eugenium ab errore vindicat, & adversarios confundit.

Consultus Nicolaus I. a Bulgaris per plura quæsitum, sapientissime ad singula respondit. Inter cætera offendit responsum datum circa baptismum collatum a quodam viro ignoto, de cujus etiam religione omnino obscura erat fama. Offenso autem, quam patiuntur adversarii, est, quia Nicolaus dixit: *Non esse denuo baptizandos, si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel etiam in nomine Christi baptizati sunt, ut legitur in actibus Apostolorum.* Unum quippe idemque est, ut Sanctus, exponit Ambrosius. (2) Patet autem formam baptismi in nomine Jesu, exclusa explicita trium Divinarum personarum appellatione, alienam esse a forma constituta ipso Christo docente, adeoque errori esse accensendam.

In animum inducere tamen nequeo, sanctissimum æque ac doctissimum Pontificem, in errorem incidisse circa formam baptismi, de qua jam recepta, & pervulgata erat Patrum traditio Saculo Ecclesiæ. Nono apud omnes, non nisi verbis dominicis In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confici Sacramentum baptismi. Observandum igitur est, responsum Nicolai ad duo se referre; nempe ad actus Apostolorum, ubi

dicitur in nomine Jesu Christi plurimos ab Apostolis baptizatos fuisse, & ad auctoritatem Divi Ambrosii, qui dicit unum, idemque esse benedicere in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia nomen unum est, potestas una. Singula explanatione distincta collustrantur. Quam in actibus Apostolorum dicuntur aliqui baptizati in nomine Jesu, non proinde est intelligendum, dimissam, vel omissam fuisse invocationem Sanctæ Trinitatis; sed tantum accipiendum est perinde ac si diceretur, benedicente Jesu Christo, vel præhabita invocatione, ut tantum opus ad optatum finem perducatur, baptizati sunt, servata tamen doctrina Christi circa materiam, & formam præscripta Matth. 18. Et sane: (3) *Quomodo, inquit S. Cyprianus: quidam dicunt, foris extra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi ubicunque, & quomodoque Gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse, cum ipse Christus Genes baptizare jubet in plena, & adunata Trinitate? Consonat Cypriano Augustinus coarguens Maximinum Arianum, ubi ait: (4) Si autem etiam non nominatis Patre, & Spiritu Sancto, in nomine Christi iusti sunt baptizari (nempe ab Apostolis) & tamen intelliguntur non baptizari nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; cur non sic audis de filio Dei: Omnia per ipsum facta sunt, ut non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum? Hinc atque possumus, Nicolaum tantum voluisse, quod quemadmodum dicitur in nomine Trinitatis tingendus esse initiandus ad fidem per baptismum, quin abrogetur expressio singularum personarum ejusdem Trinitatis; ita quum dictum sit baptizandos in nomine Christi, ut legitur in actibus Apostolorum, non est ita accipiendum, ut omittenda credatur forma cum expressione distincta Trinitatis. Ad hunc sensum tantummodo compellat divum Ambrosium dicentem: Unum idemque esse in naturæ identitate personam Verbi Incarnati, cum Patre, & Spiritu Sancto. Per speculum erat doctissimo Pontifici, non nisi ex speciali revelatione potuisse Apostolos baptizare pro forma solo nomine Christi (quatenus opinio hæc factio cohereret) neque exinde hujusmodi exemplum (5) cæteris favere posse.*

## §. XVIII.

*Stephanus VII. & Sergius III. perperam postulantur de corrupta fidei doctrina.*

EVIVIS sublato Formoso Romano Pontifice, exceptit Ecclesia in vacante Sede Stephanum hujus nominis VII. hic plura contra electionem Formosi animo volvens, censuit a Catalogo Romanorum Pontificum expungendum illum esse, tanquam hominem ex honoris ambitione, & contra fas in Pontificatum intratum, proindeque omnia ejus acta, ut auctoritate vacua, rescindi debere. Coacta igitur Synodo, ex ejusdem sententia, ultra omnium actorum extinctionem, irritas declaravit omnes ordinationes a Formoso factas, singuloseque per illum ordinatos, iterato ordinare præsumpsit. De hac violata Sacramentorum regula postulatur Stephanus, tanquam reus.

Ut plene objecto argumento faciam satis, operæ pretium est animadvertere, ( ut omnes cuneos adversariorum retundam ) prævisse decreto Stephani VII. aliud haud dispar decretum Stephani IV. contra Constantini Antipapæ constitutionem, ejusque ordinationes factas, quas irritas in

(1) l. 1. de adult. conjug. c. 9. (2) lib. 1. de Spirit. S. c. 3. (3) Ep. ad Jubajan. (4) l. 3. cont. Maximin. c. 17. (5) D. Th. 3. p. q. 66. art. 6.

in Synodo coacta edixit, & iterare præcepit. Præcesserat quoque exemplum Hincmari Rhenensis Episcopi, alioquin doctissimi, qui sedente Nicolao I. habita Sueffionensi comprouincialium Episcoporum Synodo, decrevit irritas habendas esse omnes ordinationes ab Ebbone præcessore Hincmari factas, utpote ab Episcopatu deposito, ut legitur act. 5. eisdem Concilii. Horum exempla seclati sunt Patres Synodi Bituricensis habitæ anno 1031. Joanne XVIII. Pontifice, qui Can. 11. statuerunt irritas fore ordinationes Filiorum Presbyteri, fervorum, & collibertorum, qui se seclam obtulissent, non perfecta eorum conditione. Tandem, ut alia missa faciam, in Concilio Lateranensi Oecumenico sub Callisto II. an. 1123. congregato decretum est, omnes ordinationes, quas fecit Burdinus Antipapa, tanquam irritas esse circumferendas, maxime a die, quo publico Ecclesie iudicio proscriptus, & damnatus fuerat.

Hæc omnia facis superque demonstrant, nondum eliquam fuisse in Ecclesia antea factis quæstionem: an iterari possent ordinationes contra Canones celebratæ, necne, & pro utraque parte probabilem opinionem viguisse, ac ad praxim deducam fuisse. Ex quo culpandus non videtur, ex hoc capite, Stephanus VII. si absque alterius opinionis definitione ex Cathedra, exempla præcedentia seclatus est.

Non me fugit, alios e contra stare Theologos, qui emolliere student verbum, quo irritæ declarantur ordinationes, itaut non vacuæ characteris impressione haberi debeant, sed ut illicitæ ad exercitium ordinis suscepti, & vacuæ honore, & gradu illi debito. Quamobrem nullo modo ex integro opus erat iterare ordinationes, sed tantum prævia quadam cæremoniali consecratione, vel potius benedictione, illos ordinatos in locum suum, & honorem recipere. Descripsit hanc cæremoniam Quæctum Concilium Toletanum Can. 28. pro hæreticis, & Schismaticis, qui penitentiam ad gremium redierant Ecclesie. Favet præsentis interpretationi Sigebertus in Chronico ad an. 930. ubi de Theodoro Papa loquens, narrat: *Theodorus Romanæ Ecclesie CXV. præfides. Hic contra Stephanum Papam sentiens, reconciliavit ordinatos a Formoso, quos Stephanus per vim Romæ intus, non foris exordinaverat, nec tamen presumpserat eos iterum consecrare.* (1) Constat quoque ex ep. Urbani II. ad Lucium Præpositum, in qua ait: *Ceterum Schismaticorum, & hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, juxta SS. Patrum traditionem, scilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Augustini, Hieronymi formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitentur, nisi cum ipsi vel eorum Sacramenti initiati, per manus impositionem ad Catholicam redeunt unitatem.*

Neque propterea Scriptores causantur Stephanum VII. ut doctrinæ fidei corruptorem per iteratas ordinationes (si fecit) quia non definiendo ex Cathedra, sed nimis indulgendo suo excandescenti animo illas inique abrogatas voluit, extorquendo a congregato Synodo, per omnem conatum, irregulare suffragium, teste Auxilio Formosi defensore; & (2) Luitprando scriptore cærevo. Ideoque peccatum Stephani nuncupant errorem conversationis, neutiquam prædicationis, utpote ad singularem casum restrictum. Sed iudicium verum gestarum erat, non religionis, fideique decretum, inquit Cano. de loc. Theol. l. 5. c. 5. Utraque solutio integram servat Pontificiam infallibilitatem.

(1) Ep. 17. (2) L. 1. & ep. ad Leonem Episc. Nolan. de ordin. Formosi l. 1. c. 8. (3) L. 4. decret. tit. 4. de Sponia dutorum cap. 3.

Lugendam cogor prosequi tragediam de Formoso Pontifice pertractus ab adversariis, qui Sergium III. in jus vocant, quia Stephanus acta contra Formosum, jam rescissa, deleta, & igne combusta a Romano, Theodoro, Joanne IX. Romanis Pontificibus, ausus est reintegrare, iterumque Formosi acta rescindere, ejusque ordinationes irritas promulgare. Re igitur, & opere Sergius in errorem Stephani impigit, & eo graviolem, quo a tot Sanctissimis prædecessoribus abunde fuerat edoctus. Sed quid hæc facinora cum infallibilitate iudicii ex Cathedra? Eadem respondeo, quæ de Stephano VII. dicta sunt, & quæ piget repetere.

### §. XIX.

Note in rescripta nonnullorum Romanorum Pontificum distantur.

Statius esset prætermittere, quam operam lude-re in objectionibus ab adversariis importune eductis ex Pontificis rescriptis, quæ variabilem negotiorum molem respiciunt, omnino alienam ab infallibili iudicio ex Cathedra, de quo institutum præsens procedit. Verum quia heterodoxis placet, etiam in his levissimis momenti Romanos Pontifices traducere, ab impatiis criminationibus vindicare non omitam.

Ex rescripto Alexandri III. Salernitano Episcopo, relato cap. (3) *licet præter solitum, colligunt adversarii, a quibusdam Romanis Pontificibus contra indissolubilitatem Matrimonii iudicatum fuisse dicendo, Matrimonium ratum cum una celebratum solvi posse per posterius Matrimonium cum altera initum, & consummatum.* Petente igitur Episcopo Salernitano quid juris esset in hoc casu, respondit Alexand. III. dignæ Pontificis sententia: *Quod si inter virum, & mulierem legitimus consensus interveniat de presenti, ita quidem quod unus alterum in suum mutuo consensu verbis consensu expresso, recipiat... non licet mulieri alii nubere; & si nupserit, etiam si carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, & ut ad primum redeat, Ecclesiastica distributione compelli. Quamvis aliter a quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando iudicatum. Itaque subintendunt adversarii aliquos Romanos Pontifices, teste Alexandro III. legem divinam de indissolubilitate Matrimonii admisso errore violasse.*

Si consulamus juris Canonici peritos, latet omnino, a quo vel quibus latum fuerit iudicium adversus indissolubilitatem Matrimonii; & mirum est, nullam hujusmodi iudicii mentionem extare in aliqua saltem pervertita Canonum collectione. Propterea conjectare licet, Verba Alexandri ex suggestione consulentis Episcopi fuisse adjecta. Proclive enim est, quod Episcopus ex falso rumore obrepit scripterit, a quibusdam Romanis Pontificibus rescriptum fuisse in favorem posterioris Matrimonii consummati. Quibus suggestionibus rescribens Alexander, respondit, sententiam suam omnino prævalere debere, etiam si aliter a prædecessoribus suis iudicatum fuerit. Neque temere id dictum assero, quia ex Gonzalez constat eo tempore abusum invaluisse Mutinæ, in Anglia, aliisque provinciis dissolvendi Matrimonium ratum per Matrimonium subsæcutum cum copula. Qui ergo fieri non potuit, ut ad obducendam excusationem in peccatis, falsum rumorem sparserint, in conspirasse alicujus Romani Pontificis sententiam? Ad di etiam potest, ut igno-

ignorantia errorem populi obrepere potuisse, quia, quom ex cap. *sicut ex literis de sponsal.* sancitum fuerit feminas in deponatas, alteri nubere non prohiberi, ad Matrimonium ratum inscite hanc legem transfulerunt.

Cæterum cavendum esse existimo a censuris inuendis Pontificis rescriptis, quia ex singularitate casuum inferri nequit eandem doctrinam ubique valere. Sit exemplum. Alexander III. iuste improbat Matrimonium consummatum, adjecta tamen conditione, si præcesserit cum altera Matrimonium ratum, conceptis verbis explicantibus mutuum consensum, initum. Itaque si alter casus proponatur, non verificata hac conditione, opposita erumpet resolutio. Cætera patebunt per solutionem sequentis argumenti.

In secunda collectione juris Canonici legitur quoddam rescriptum Cælestini III. sub cap. *de convers. infidelium* in hæc verba: *Idem siquidem juris sequenti casu, quem proponere studuisti, esset cum Christiano viro, propter odium uxoris, Christianum negante, & sibi copulante paganam, & ex ea filio procreante, Christiana in opprobrium Jesu Christi relicta est; tamen assensu Archidiaconi sui ad secundas nuptias convolarit, & filios suscepit ex ipso: non enim videtur nobis, quod si prior Marius redat ad unitatem Ecclesiasticam, eadem a secundo debeat recedere.*

In consimili casu de viro labente in hæresim, rescriptum Urbanus III. cap. *de illa de divor.* *Videtur nobis quod si mulier ab eo, ea dumtaxat intentione discessit, ut lapsus in hæresim radio pariter, & confusione affectus, se ab errore suo converteret, ei cum uxore fuerit, reddenda est... si vero iudicio Ecclesie ab eo sine spe Matrimonii reintegrandi recessit, ad recipiendum illum nullatenus dicimus compellendam.* Postmodum Innocentius III. rescribens Episcopo Ferrariensi, ut habetur cap. *Quanto de divor.* utrumque rescriptum, nempe & Cælestini, & Urbani correxit dicens: *Licet quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur. Ergo, clamant adversarii, errantur nominati Pontifices, & se invicem corrigunt.*

Singulos textus opus erat exponere, ut se ipsa perspicue fluere solutio. Nonne Cælestinus, & Urbanus suam proferunt opinionem per verba: *Videtur nobis*? Nonne hæc verba sonant privatam proferentis opinionem, quæ cum mutabilitate iudicii comparitur, vel alterius Pontificis reformationem admittit? Itaque nihil contra infallibilitatem Pontificiam hujusmodi rescripta evincunt. Sive erret, sive non erret Pontifex in privatis opinionibus, ad quæstionem nostram non pertinet, qui loquimur de iudicio ex Cathedra, quod certe non proferitur per verba: *Videtur nobis.*

Contra rescripta Alexandri III. iterum Censores adversi reclamant, quia cap. *Cum esses, de Testament.* improbat testamenta, quæ secundum invecam consuetudinem, sub pena rescissionis, non fuerint vallata per subscriptionem quinque, vel septem testium; quia, ait Pontifex, *a divina lege, & Sanctorum Patrum statutis, & a generali Ecclesie consuetudine id esse nescitur alienum, cum scriptum sit: In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum.* Ubinaam, ajunt, est violare jus divinum, si adversus insurgentes fraudes majorem numerum testium producere contingerit?

Casus poscebat remedium, quia Veliterni omnia testamenta penitus rescindebantur, nisi quinque vel septem testes adfuerint subscribentes: ex quo pauperes, causæ piæ, Clerici, in infinitum an-

gebantur. Statuit proinde Alexander III. duos, vel tres testes sufficere ad testamenti validitatem, producta ratione, non pro causa dispositionis, sed veluti pro exemplo, ac si diceret. Si juxta jus divinum, quod laudant Sancti Patres, & Ecclesia exequitur firmitate consuetudinis, duo vel tres sufficiunt testes ad probationem verborum, cur adeo ab his aliena est consuetudo Veliternensis, ut rescissioni tradantur testamenta a pluralitate majori testium minime probata? Ubi, ut apparet, nullus error corrigendus occurrit, neque castigandum censeri debet Alexandri III. rescriptum.

### §. XX.

Errores adversus Innocentii III. & Bonifacii VIII. constituta intentati rejiciuntur.

AD Innocentium III. perducimur, in omni facultate peritissimum, rerum humanarum, divinarumque cognitione egregie præditum Pontificem. Quapropter quilibet sani consilii majus scelus esse suspicabitur, in ejus scriptis errorem cogitare, quam assingere. Ad tollendam igitur mustitandi occasionem adversus Pontificiam infallibilitatem omnes scrupuli proferantur in medium. Postulabat enim Innocentium III. Philippus Rex Francorum, ut nullitatem sui matrimonii cum Isemburge Regina pronuntiaret, & libertatem ei permitteret transvendi ad secunda vota cum Maria superinducta muliere. Obteudebat pro causa petita dissolutionis, nunquam fuisse inter ipsos consummatum matrimonium, quod tamen constanter negabat Regina, & suo iuramento firmabat. Respondit Pontifex: (1) *Non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid diffinire, propter illam sententiam evangelicam, quam ipse Christus expressit: Quod Deus conjunxit, homo non separet: Cum absque dubio, nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta, intentioni tue in hoc articulo suffragentur. Verum si super hoc absque Generali deliberatione Concilii determinare tentarem, præter divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possumus incurere, forsitan ordinis, & officii nobis periculum immineret: cum contra præmissam veritatis sententiam, nostra non possit auctoritas dispensare.* De sua igitur Pontificia infallibilitate dubitabat Innocentius.

Prudentissimi æque ac doctissimi Pontificis munus egit Innocentius. Doctrinam inconcussam de indissolubili conjugio dixit. Repulsam prudenti lenivit remedio, obtendendo, & sui muneris, & suæ famæ periculum, universalis Concilii necessarium convocationem, ut in tanto negotio ingentibus difficultatibus circumsepto maturius postulatio Regis insanis amoribus irretiti judicaretur. Quomodo in hac responsione deperat Pontificia infallibilitas, penitus ignoro. Scite dixit Innocentius non posse contra evangelicam sententiam definire. Cætera ad ornatum responsionis, non ad dubietatem suæ infallibilitatis sunt adita.

Item Innocentii III. exagitur doctrina, quia rescriptum dicitur ad Monachos Cistercienses: *Confessionem esse prodendam, quia potius est blasphemia, quam confessio; nec debet Confessor tantam blasphemiam, ac insaniam celare, per quam periculum toti Ecclesie poterit incumbere.* Exquirebant Monachi, an factus penitens accedens ad Confessarium, ut eum in patrocinium criminis deducat, subinde repulsus possit sub specie inviolabilis sigilli

(1) lib. 3. Epist. 106. regala 15.

figilli deterere confessorium, ne prodatur sacrilegium. In quo casu quis ita desipiet, defendendo, adfuisse confessionem sacramentalem inseparabilem ab inviolabili secreto?

Errasse Bonifacium VIII. ebuccinant adversarii, quum edita Constitutione *Unam Sanctam*, edixerit, omnia Regna mundi subesse in temporalibus Romano Pontifici. Quod adeo erroneum autumant, ut successor Clemens V. iustum duxerit prefatam Constitutionem abrogare, & ut novitatis commentum abjicere.

Obiectio hæc undique mendacis scater. Constitutio *Unam Sanctam* adhuc perennis viget in sexto decretalium, nullo notata errore, in iis, quæ ad dispositivam pertinent, nullo stigmate inusta. Clemens V. per *extravagantem*, ut habetur in cap. *Meruit*, tit. de *Privilegiis*, duntaxat declaravit, per laudatam Constitutionem Bonifacii VIII. *Unam Sanctam*, nullum præjudicium generari Regi, & regno Gallicano, neque plus subiectos esse Romane Ecclesie, quam antea existebant, in temporalibus scilicet. Cæterum inconcussa, & immobilis stat definitio Bonifacii: *de necessitate salutis est omnes Christi fideles Romano Pontifici subesse*. Intelligenti vim instam veritatis, nempe quod semper fuit (saltem in æternitate) semper est, & semper erit, cuiusmodi sunt articuli ad fidem spectantes; nil novum neque corrigendum suggeret declaratio, qua promittitur nihil statui de recenti, quod antiqua non polleat veritate, sive in jure hoc sit, sive in facto, de quo non quaerebatur. Omnibus enim patet, quod per definitionem nihil aliud evenit, nisi quod verum prius absconditum, definitione sit manifestum, & obedientia probatum. Sed semper fuit, est, & erit inconcussa, & irrevocabiliter verum.

## §. XXI.

Obiecta Nicolao III. & Joanni XXII. profiligantur.

UT immoderata animorum studia hinc inde pugnantia circa archissimam paupertatem a S. Francisco ordini suo Minorum demandatam in regula, non obruerent Religionis incrementum, & sanctimoniam, Nicolaus III. edidit Constitutionem incipientem (1) *Exiit qui seminat*, in qua duo potissime edixit. Primum est: *dicitur*, inquit, *quod abdicatio proprietatis rerum omnium non tunc in speciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria est, & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmavit*. Alterum est: Quod reservato Sedi Apostolicæ quocumque dominio, & Juris usu, dixit Nicolaus, permitti tantum fratribus Minoribus usum facti. *Qui, inquam, usus, non juris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti tantum, in utendo præbet utentibus, nihil juris. Ne salium rerum sub incerta videatur esse dominium. in nos, & Romanam Ecclesiam plene, & libere pertinere, hac presentis constitutione in perpetuum valitura sancimus*. Hæc decrevit Nicolaus III.

Nequitia nonnullorum pessime audita est Nicolai prædicta declaratio, quia pefundato cuiuscumque pudoris repagulo usque ad schisma, & hæresim erumpere ausi fuere, prædicando, & proclamando omnimodam paupertatem cum abdicatio totali domini, & usus juris, esse illam paupertatem evangelicam, quam Christus, & Apostoli sectati sunt, adeoque ad jus divinum

strictissime pertinere per quemcumque superiorem etiam Romanum Pontificem indispensabile. Quibus alias hæreses addere, & evomere non erubuerunt. Ad retundendam igitur propudiosam hanc pervicaciam, Joannes XXI. vel, ut communiter nuncupatur, XXII. suam decretalem condidit, in qua minime probans posse dari simplicem usum facti absque jure utendi, decernit: (2) *Quod non iustus esset actus utendi huiusmodi reputandus, cum ille usus fuerit, cui jus non competeat utendi. & ideo de Fratrum nostrorum consilio hoc edicto in perpetuum valitura sancimus; quod in bonis, que in posterum conferrentur, vel offerrentur, vel alias quomodo libet obtinerentur contingerent fratribus (que scilicet usum consumuntur) seu ordini. nullum jus seu dominium aliquod occasione ordinationis prædictæ, seu cuiusvis alterius a quocumque Prædecessorum nostrorum super hoc specialiter editæ, Romane Ecclesie acquiratur, sed quo ad hoc habeantur profus ordinationes huiusmodi pro non factis*. Belituitque dominium earum rerum fratribus, abdicato penitus illo, quod Nicolaus III. Ecclesie Romane attribuerat.

Quo vero ad paupertatem Christi, & Apostolorum, per alteram decretalem incipientem *Cum inter nonnullos*, Joannes XXII. in hæc verba sancivit: *Cum inter nonnullos viros scholasticos sepe contingat in dubium revocare: Utrum pertinaciter affirmare Redemptorem nostrum. . . ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi, etiam hæresim sit censendum, diversa, & adversa etiam sententibus circa illud: Nos huic concertationi finem imponere cupientes. . . de Fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto: nempe erroneum esse, & hæreticum, dicere Christum Dominum ejusque Apostolos non habuisse neque in communi, neque in speciali verum dominium super omnibus sibi spectantibus, utpote assertum Sacre Scripture contrarium, & doctrine Catholice inimicum*.

Hæc pugnantia inter se decantant adversarii, qui vel Nicolaus III. vel Joanni XXII. apertissimam erroris maculam imputant. Longe tamen falluntur. Nicolaus III. dixit; Christum Dominum verbo, & exemplo docuisse abdicatorem omnium rerum, cum ait Apostolis: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in vestris, non peram, neque duas tunicas, neque calcamenta, neque virgam*. Matth. x. Exemplo quoque id probavit Christus, de se ipso dicens: *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet*. Matth. 8. Et sequebantur eum mulieres, que ministrabant ei de facultatibus suis, ut legitur Lucæ 8. Quibus perpensis laudat Nicolaus illos, qui abdicato omnium rerum dominio hanc sibi vendi formam asciscunt. Cæterum identidem approbat Christum etiam cum suis Apostolis loculos habuisse, ut utroque vivendi modo exemplum præberet, ad perfectionis gradum ascendendi. Quia vero novatores impudentissimi usque ad hæresim ausi fuerant Nicolai declarationem pertrahere; Idcirco Joannes, ut tanta nequitia os obstrueret, definitione firmavit, Christum, & Apostolos habuisse verum dominium, & non tantum merum usum rerum, quibus utebantur, ut blaterabant rebelles. Definitio ergo Joannis nec in apice pugnat cum Nicolai decretali.

Quod spectat ad alteram partem, serio pensanda est Nicolai sententia, qua duo declarat: nempe exactissimam paupertatem esse, si omnimodum dominium foret abdicatum, uno tantum relicto usu facti, non juris; quapropter translati in Ecclesiam Romanam prædicto dominio, sanxit, nil aliud

aliud fratribus competere, quam purum facti usum: Quod quidem variabilis disciplina regula fuit. Exorta deinde præfata Novatorum exitiali concertatione, Joanni fas fuit, iterum abdicare dominium Ecclesie reservatum, illudque fratribus restituere, prout moris est eorum, quæ ad puram disciplinam, non autem ad dogma, vel ad fidem pertinent. Ubi autem Joannes a Nicolao diffidet in allata Moralis, & Juris prudentiæ questione, cum separabile sit dominium ab usu in iis, quæ usu consumuntur; neuter Pontifex ex Cathedra locutus est, neque materia est, quæ fidem respiciat. Quid enim prohibet, citra infallibilitatem iacturam, rationem ex propria opinione producere, quæ alteri Pontifici non ardeat? Equis vel, qui etiam in opinionibus Philosophicis, vel ethices, vel juris prudentiæ, infallibiles velit Romanos Pontifices? Vel quod definitiones ex Cathedra ab his principibus deriventur? Horum bene conficius Joannes XXI. decretalem prædecessoris vocavit *Ordinationem*, ut ex nomine quisque comprehenderet, sanctionem puræ disciplinae fuisse, non fidei.

Ad pleniorum hujus argumenti, & consilium solutionem præstat ex doctissimo Melchioro Canonere, nempe I. non omnes decretales vim iudicii irrefragabilis obtinere, (1) quarum nonnullas constat a posterioribus meliore consilio resutatas; quoniam non ex firmo decreto, sed ex Pontificum opinione prodierunt. Ut contigit etiam in Conciliis generalibus circa ea, quæ disciplinam respiciunt. II. (2) distinguere necesse esse in decretis, id quod est intentio, conclusioque decreti, & id quod promittit quasi ratio, & causa reddita a Pontifice ejus rei, quam constituit, in illis enim, quæ in Conclusionem statuuntur, si fidei quæstio decernatur, pro constanti tenendum est, Pontificem errare non posse. Verum in ratione, vel causa expendenda, an apta sit, probabilis, vel idonea, non est plurimum immorandum, quia ex privata opinione sæpe proceditur. III. Quandoque contingere inter rationes, & causas producta testimonia ex Sacra Scriptura petita, quæ tamen vix non faciunt ad Conclusionem decreti inferendam; vel quia huiusmodi causæ non sunt necessariæ, sed tantum verosimiles, vel quia ex privata interpretatione, aut ex sensu accommodatio, aut argumentatione a similibus promittuntur. Exat, inquit, Cano, *Synodus, ubi de perpetua Mariæ virginitate pronuntiatum est, illud quod in ea se suadenda referunt Patres: Portam Ezechielis clausam*. Huiusmodi enim rationes, & causæ asserantur, ut suadeant, non autem, ut cogant. Nam licet non sint necessariae, non sunt tamen prorsus inceptæ. Quod si etiam Pontifices in huiusmodi ponendis causis, quandoque falluntur, ne calumniantur sunt quidem, tantum abest, ut inde loci hujus auctoritas infirmetur, & infallibilitas iudicii ex Cathedra vel leviter concidat.

Alio erroris convicio proficundum adversarii Joannem eundem XXII. contendentes fuisse, & docuisse, animas iustorum usque ad diem iudicii passuras privationem visionis beatificæ, quod errantis iudicii profus argumentum est. Sed mendaciter profertur historia. A nemine quippe fide digno auctore hucusque proditum est, Joannem XXII. docuisse, & definivisse ex Cathedra præcatorum errorem. Imo pluribus authenticis documentis probat (3) Odoricus Raynaldus, in eam quidem opinionem Joannem propendisse, ut pote nondum finali iudicio expunctam, sed nunquam ad decretoriam devenisse sententiam. Legenti dis-

Serry Tom. V.

ploma a Benedicto XII. de hac re editum, quod incipit (4) *Benedictus Deus*, compertum fiet, quantum hallucinati sint nonnulli scriptores, qui ementitis imbuti rumoribus falsa pro veris venditæ præsumperunt. Porro si opinioni nondum eliquatæ plus favori Joannes, quam par erat: Si proprio nimis indulit sensui, humanitati, non Pontificatus culpa est adscribenda, uti declarare ipse curavit in frequenti Consistorio publico, & in mortis articulo, de quibus ipse Benedictus successor est locupletissimus testis.

Non abs re erit adijcere, Joannem XXII. quum debuit, ut Pontificem decebat, loqui, conceptis verbis professum esse, nunc referat esse Sanctorum communioni beatitudinem in Cælesti patria, ut legere est in diplomatibus Canonizationis Sanctorum Thomæ Aquinatis, Ludovici Tholosani Episcopi, & Thomæ Herfordensis Aristitit, quæ plene comprobant solutam fuisse animam mentem ab illa dubietate, quæ solet errantes pertinaciter concutere. De his hæcenus.

## §. XXXI.

Clementis VI. Urbani V. & Gregorii XI. protestationes minime pugnantem cum Pontificia infallibilitate probantur.

QUUM jam ad limen mortis accederet Clemens VI. ab ignorantia culpis se expedire cupiens, solenni diplomate revocavit, quidquid errore comite adversus veritatis apicem contigisset se esse proloquutum. Verba sunt: *Si qua dudum in minoribus constitui & postquam ad fastigium Apostolicæ dignitatis divina bonitas dignator potius, quam digne provexit; nos disputando, legendo, prædicando, aut alias contra Catholicam veritatem, & fidem, vel bonos mores, ex lapsu lingue precipitanter forte protulimus, revocamus, & volumus pro revocatis haberi: Et ea omnia Sedi Apostolicæ auctoritati submitimus, & supponimus corrigenda*. Tanto, ut ajunt adversarii, ac tam illustri testimonio, subijcitur aliud haud inferioris momenti ejusdem Pontificis, qui sibi conficius propriæ fallibilitatis in Sanctorum Canonizatione, fatagebat *Populum inducere ad orandum pro eo, quod Deus non permittit eum errare in hoc negotio, ut moris erat illius temporis*.

Liceat mihi paululum ab argumento excurrere, ut mentem Clementis VI. circa Pontificiam infallibilitatem certo certius rescire valeamus. Ipse summo propagandæ religionis studio intentus, litteras dedit (5) ad Consolatorem Armenorum Catholicum, in quibus, expositis Romane Ecclesie Canonibus, explicationem Armenorum fidei professionem exigere curavit. Inter illos legere est decimum tertium in hæc verba: *Si credidisti, & adhuc credis solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem Catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adherendum, finem imponere: Et esse verum, & Catholicum quidquid ipse auctoritate Clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum, & quod determinat esse falsum, & hæreticum, sit censendum*.

Utrumque testimonium Clementis VI. conferatur ad invicem; dimissaque animi affectione expendatur: etenim constabit, toto ostio proculdubio aberraturum, qui Pontificem hunc infallibilitatis ospreum suspicari audebit. Equis ferre potest, audire Clementem, in humilitatis studium officiosum culpas ignorantia, vel erroris deflentem,

(1) de loc. Theol. l. 5. c. 5. (2) Cano ib. l. 6. c. 8. ad 4. arg. (3) ad an. 1333. & 1334. (4) Tom. 1. Bull. Rom. (5) Raynal. ad an. 1346.

(1) Rel. tit. de Verb. Signif. in 6. (2) tit. de Verb. Signif. extra ad Conditorum in 6.

tem, sive legendo, sive disputando, sive prædicando commissas, prout hominis infirmitati accidit; statimque ut Pontificem ex Cathedra docentem fallibilitatis suæ accusatorem, simul, & reum expostulare: Ubi vero ad fidei amissum exposcit infallibilitatis Pontificiæ confessionem, irridere, & subfannare, perinde si strophas venditare studuerit? Coarguitur si preces fundere curaverit, ne in canonizatione Sanctorum errore aliquo minus suum perverteretur, perinde ac timore errandi se concussum esse significaret, quin advertere placeat, plura in factis humanæ testificationis occurrere posse, quæ prævie ad sententiam valeant veritatem obruere? Nonne Sacerdos prævie ad panis, & vini consecrationem continuo orat pro mirabili transubstantiatione, licet probe seiat verbis divinis infallibiliter omnia compleri? Et culpæ fallibilitatis tribuendum erit, quum Clemens VI. & ordo Romanus supplicationes indicunt ad averendum errandi periculum a tota ferie Canonizationis Sanctorum? Primo exclamant adversarii fundendas esse preces, antequam Pontifex ad definitiones fidei deveniat; postremo si preces indicuntur ante Sanctorum canonizationem, ad significandam fallibilitatem iudicii illas pertrahunt. Quis hæc pugnantia conciliabit?

Reponunt alii, professionem fidei indicam Armenis a Clemente VI. explicatione indigere; nempe illud esse Catholicum, & verum censendum, quod summus Pontifex ex Cathedra, hoc est accedente Ecclesiæ consensu, determinat esse verum. Inepta interpretatio, quam ipse textus excludit, ipse Clemens rejicit, & a qua ipsa veritas abhorret! Armenis pro regula Fidei, quam profiterentur, assignat Clemens VI. ore, & corde fas esse credere, verum esse, quod determinat summus Pontifex esse verum, & e contra esse falsum, quod summus Pontifex determinat esse falsum, & hæreticum. Quis recte concipere poterit, in his verbis includi, *accedente Ecclesiæ consensu*? Nonne futilem regulam fidei tradidisset Pontifex, reticendo conditionem qua fides inconcussa redditur? Legere textum, est futilem glossam abijcere. Porro ipse Clemens, olim Petrus Rogerii, fuerat doctor Theologus Parisiensis. Vel ergo suo tempore præfata Conclusio de infallibilitate Pontificia inter Theologos Parisienses versabatur, vel non. Si horum erat altum silentium, ipsa novitas exufflat probabilitatem. Si vigeat disceptatio, Clemens aliter docendo, novitiam opinionem explosit. Tandem ipsa veritas oppositum demonstrat, quia quum summus Pontifex sit Magister, & doctor universæ ecclesiæ, & ipse docendo omnibus loquatur, & Universæ Ecclesiæ audiat, & difcat, nihilque ista pronuntiet, cui unquam fides populorum firmiter inniti debet? Si dicas, & loquenti, & silenti. En Babelis confusio. En fides in incertum vaga, donec ad Armenorum aures perveniat totius occidentis silentium, & per silentium tacitus assensus. En fides vana, & pendula, ac tandem irridenda!

Ad Urbanum V. transeamus, qui in mortis articulo professus est: *Se tenere, & credere firmiter quicquid Sancta Catholica, & Apostolica tenet, & docet, & prædicat Ecclesiæ: & si per prius docendo, legendo, prædicando, aut disputando, vel alias, aliud quovis modo prædicaverit, vel dixerit, totum id revocavit voluitque haberi pro non dicto, submittere se, & dicta sua hujusmodi correctioni, & determinationi dictæ Sanctæ Mariæ Ecclesiæ, a qua assertis se nunquam deviasse scienter.* (1)

(1) Raynald. ad an. 1370.

Ita de Urbano V. refert Scriptor coævus in ejus vita.

Fuit Urbanus V. Ordinis Benedictini alumnus, doctrina, ac pietate illustris. Definitorum ex Cathedra pœnitere non potuit, neque de sua infallibilitate dubius esse, quum nullam constitutionem dogmaticam revocaverit, vel iudicium de fide reformaverit. Igitur ex humilitatis studio de dictis, & doctrinis privatim traditis intelligitur locutus, & protestatus. Quid ad nos? Nunquid dicimus Pontifices impeccabiles Verbo, cogitatione, & opere? Se ipsos irridendos præbent, qui hujusmodi argumenta exhibent.

Neque multum discrepat a præfatis exemplis, illud Gregorii XI. qui condito Testamento, ita supremam suam voluntatem aperuit: *Item volumus, dicimus, & protestamur ex nostra certa conscientia, quod si in Consistorio, aut in Conciliis, vel sermonibus, vel collationibus publicis, vel privatis, ex lapsu lingue, aut alias ex aliqua turbatione, vel etiam letitia inordinata, aut presentia magnatum, ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliquo dissemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate, aliqua dixerimus erronea contra Catholicam fidem, seu forsitan adhibendo aliquorum opinionibus contrariis fidei Catholicæ scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, dando favorem aliquibus contra Catholicam Religionem obsequentibus, illa expresse, & specialiter revocamus, desistantur, & habere volumus pro non dicto.*

Fateor hujus vim argumenti probi hominis captum excedere. Argumentum ita ad adversarios constructum. Gregorius Pontifex professus est, se agnoscere errorem etiam circa fidem obnoxium, igitur falsus est infallibilitatis privilegii se fuisse expertem, nullo accedente Ecclesiæ consensu. Hoc præmissis: *Fingamus, omnes Episcopos, qui in Concilio Tridentino federunt, eandem prorsus protestationem Gregorii, uti non est creditu difficile, in mortis periculo conceptis verbis emisisse. Licebit itaque pariformiter inferre, omnes illos Patres infallibilitate iudicii caruisse in ipso Concilio, nisi consensus Ecclesiæ accedat? Sub simili forma quilibet Sacerdos Sacramento dicat, non posse quidquam patrare miraculi. Licebit igitur Calvino deducere: ergo nequit Sacerdos transubstantiationem efficere? Viden argumenti fallaciam? A restricto sensu errandi, ut homo est infirmitate circumdatus, ad ampliorem errandi etiam, ut Pontifex docens ex Cathedra arguitur, qui arguendi modus ab omnibus Philosophis exhibilatur.*

## §. XXIII.

*Alii Romani Pontifices a labe fallibilitatis vindicantur.*

IN historia rerum Mediolanensium, Bernardinus Corius refert, Bonifacium Nonum summum Pontificem largitum fuisse pro ditione Vicecomitum indulgentiam, qua unusquisque, quibusdam collatis elemosinis in pauperum levamen, absolutus a quocumque peccato existeret; etiam si nec confessus, nec contritus ea defecerit. Inspida plene fabella hausta a viro in Theologia hospite! Indulgentiæ non ad culpam, sed ad penam tollendam conceduntur. Ignorantiæ adeo crassa notam tempore Bonifacii IX. Curie Romanæ impurare, intolerabilis stupiditatis est virium. Procul dubio ex deceptione peccavit Corius; siquidem si qua fuit indulgentia concessa, ad reatum penæ elevandum tantum extensa intelligi debuit.

Quum

Quum autem penarum duplex sit genus, nempe aliud erga Ecclesiam penas Canonicas inferentem; aliud erga Deum penis condignis ulciscen-tem peccata; potuit Pontifex penas illas Canonicas in alia pia opera commutare; quemadmodum ex Jure Canonico dicimus, posse Ecclesiasticum Iudicem etiam invidiosam a censuris absolvere.

Eadem audacia aggrediuntur adversarii Sanctum Cælestinum hujus nominis V. quia in concessa indulgentia Ecclesiæ Aquilana, ubi primo Pontificia cinctus fuit Thia, (1) expressit, se a baptismo absolvere a culpa, & a pœna omnes, qui vere pœnitentes, vel contriti oraturi accederent in die decollationis Sancti Joannis ad præfatum Ecclesiam. Neque animadvertunt hujusmodi censores, absolutionem subsequi ad favendum iis, qui vere pœnitentes, vel contriti omnem labem culpæ expiaverint. Propterea non nisi reatum penæ respicit, qui ut effectus culpæ, quandoque etiam culpa dicitur, quæ culpa non est amplius.

Testem subinde advocat fallibilitatis Pontificiæ Hadrianum hujus nominis VI. qui quum munus doctoris Lovaniensis ageret, scripsit commentaria in libros Sententiarum, & ad Pontificatum evehctus publica luce donavit. In his commentariis ita locutus est: (2) *Ad 2. De facto Gregorii dico: Quod si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum est, quod possit errare, etiam in iis, que tangunt fidem, hæresim per suam determinationem, aut decretalem asserendo. Hæc Hadrianus Florentii doctor Lovaniensis, neutquam Hadrianus VI. Pontifex maximus, et in Pontificatu Commentaria edere curaverit. Instaurato itaque doctrinam sapientissimi Magistri Cano superius indicatam: (3) Error itaque, inquit, personalis, privatus est cuiusque. Edidit Innocentius IV. in primum librum decretalium Commentaria. Si in his quicquam erratum est, hominis nimirum est, non Pontificis, quamvis ea commentaria a Pontifice edita sint. At si idem Innocentius in iudicio de fidei questione definiret quidpiam, quod revera falsum esset, jam hic error a publico Ecclesiæ consensu proficisceretur, essetque proinde judicialis. An Hadrianus, an alii Romani Pontifices in suo privato sensu abundare potuerint, non moror. Sed an erraverint definitendo res fidei ex Cathedra, ut quæstio postulat, constanter pernego. Ipse quoque Hadrianus VI. abiecit Pontifex factus illam opinionem, quam mordicus in Schola Lovaniensi docuerat, nempe non potuisse Sanctum Gregorium Magnum dispensare cum simplicibus Sacerdotibus Siculis, ut confirmationis Sacramentum conferrent. Attamen ipse non semel Missionem in partibus infidelium agentibus eandem facultatem concessit. Quamobrem si novis curis præfatas lucubraciones ad lydium lapidem revocavisset, antequam eas typis demandasset, certo certius opinionem de fallibilitate Pontificiæ expunxisset, eliminasset, retraxisset. Ut ut est, firmiori nitimur fundamento vindicantes Pontificiam infallibilitatem, quam Hadrianus Florentii, qui Doctoris Lovaniensis munus exercebat, non discussa quæstione, sed de confirmationis ministro agens, nonnulla obiter prorulerat. Laudate distinctiōni iudicii privati, & iudicii publici obsequantur, necesse est, adhuc ipsi adversarii, qui infallibilitatem in Concilio Generali constantem viriliter propugnant. Competum quippe habemus Patres inibi confedentes in privatis opinionibus nonnunquam a vero deficere, ut legere est in historia Concilii Tridentini studio Cardinalis Pallavicini concin-*

*Serry Tom. V.*

nata. Et tamen in iudicio publico definitivo ad exactam fidei regulam inconcussam veritatem constabiverunt. Non pro omni sensu promissus coelitus est Sancti Spiritus specialis afflatus; sed ad postremam publici iudicii sententiam reservatus est, tam pro Concilio Generali, quam pro Romano Pontifice ex Cathedra loquente, ut non tam Patres, quam Pontifices Maximos intelligamus locutos, tanquam organum ejusdem Dei nos docentis, & instruentis.

## §. XXIV.

*Aliæ notæ nequiter offusæ evocantur.*

PATROCINIUM quaritant adversarii a dictis vel factis unius vel alterius Pontificis Romani, ut traditionis jacula declinent, quæ jugulum petunt. Patienter ferre fas est, ne videamur difficultates fugere. Paulum IV. accersunt concionantem adversus Pontificiam infallibilitatem. Rogatus Pontifex, ut Matrimonium ratum tantum inter filium Ducis a Memorantio, & Joannam Halluynnam Piennæam celebratum dissolveret, audire voluit peritos, & doctores in divinis, & decretis, quos accitos in hæc verba affatus est. *Ne queso vos teneant decessorum morum facta, & exempla, quæ eatenus sequi volo, quatenus scripturæ auctoritas, & Theologorum rationes, vos ad illud agendum inducant. Non dubito quin ego, & decessores mei errare aliquando poterimus, non solum in hoc, sed etiam in pluribus aliis verum generibus, & tamen plane condemnandi non sumus. Nam Deus suam ita regit Ecclesiam, ut illi certum ad tempus abscondat multa, que tum inde patrefacit. . . . Quis igitur scit modo, num qua reliquis circa indissolubile matrimonii vinculum ante fuerunt incognita, per nos Deus aperiant in lucem nunc prodi velit? Fides sit penes Castelnavi Maluiffier, qui hæc refert inter sua Commentaria Tom. II.*

Proloquium Pauli IV. nullum prorsus suffragium præbet adversariis. De casu particulari agebatur, neutquam de dogmate ex Cathedra dicendo. Quotidie hæc agitantur in Curia Romana hinc inde, juxta diversarum partium studium nervose scribentium, ubi etiam de potestate Pontificis, pugnantium doctorum placita producantur. In quæstione pro utraque parte toties ventilata, placuit Sanctæ Sedi tuto posse dispensare, & urgente causa dispensat adhuc. Et hoc est errare? Minime gentium. Secuti sunt sententiam, quam probabiliorum, & tutam in praxi censuerant. In hujusmodi causis, dicit Paulus IV. & ipsum & decessores suos potuisse aliquando errare. Quod ex pluribus inculpate contingere solet. Vel quia factum falso supponitur; vel quia causæ testibus non integris inniuntur, & similia. Acciti Consultores, eodem auctore teste, in oppositas abierunt sententias. Successive dispensatum est; ergo rite, ergo recte. Sed quid, amabo, hoc argumentum confert, ad vellicandam Pontificiam infallibilitatem ex Cathedra? Præfens relatio iudicia privata tangit, & quidem sæpe sæpius contentiosa. Ut tutius, & probabilius procederet, doctos viros consuluit Pontifex, non autem ut definiret de dogmate. Nos vero querimus de infallibili iudicio ex Cathedra, ut de fide, qua nil certius in Mundo, doceatur Universalis Ecclesiæ. Plurimum, heu nimis, a sententia nostra diferepant.

Heterodoxi errasse utcumque dicunt Sixtum V. per eam causam, qua inherens decreto Concilii

N 2 Tri-

(1) Raynald. ad An. 1294. (2) In 4. Sent. q. de Confirm. 9. (3) De loc. Theol. l. 6. c. 8.